

P. VERGILI MARONIS

- P.* Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba. 55
 et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
 nunc frondent siluae, nunc formosissimus annus.
 incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
 alternis dicetis; amant alterna Camenae.
- D.* Ab Ioue principium Musae: Iouis omnia plena; 60
 ille colit terras, illi mea carmina curae.
- M.* Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
 munera sunt, lauri et suaue rubens hyacinthus.
- D.* Malo me Galatea petit, lasciua puella,
 et fugit ad salices et se cupit ante uideri. 65
- M.* At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
 notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
- D.* Parta meae Veneri sunt munera: namque notauit
 ipse locum, aëriae quo conguessere palumbes.
- M.* Quod potui, puero siluestri ex arbore lecta 70
 aurea mala decem misi; cras altera mittam.
- D.* O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
 partem aliquam, uenti, diuum referatis ad auris!
- M.* Quid prodest quod me ipse animo non spernis, Amynta,
 si, dum tu sectaris apros, ego retia seruo? 75
- D.* Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
 cum faciam uitula pro frugibus, ipse uenito.
- M.* Phyllida amo ante alias; nam me discedere fleuit
 et longum 'formose, uale, uale,' inquit, 'Iolla.'
- D.* Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80
 arboribus uenti, nobis Amaryllidis irae.
- M.* Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
 lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
- D.* Pollio amat nostram, quamuis est rústica, Musam:
 Pierides, uitulam lectori pascite uestro. 85
- M.* Pollio et ipse facit noua carmina: pascite taurum,
 iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.